



# CODICES DOGMATICI.

CCCCLVI.

U. 246

**C**odex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 40. 4. sat nitide scriptus, fronte picturatus, et quondam ab *J. Alex. Brassicano*, cujus I. A. B. praefert, ad *Joh. Fabrum* Ep. *Vien.* transgressus ita litera purpurea quadra enuntiatur: *Aegyptus Alexandrinus Latine Conversus A Sancto Viro Ambrosio Monacho Florentino.* Ne *Denis Codd. Theol. V. II. P. II.*

quid remotioris aevi praecipias, *Ambrosius* hic *Traversarius* est, vulgo *Camaldulensis*, plurium Graecorum interpres, a. 1439. defunctus, Opus vero ipsum *Aeneae Gazaei* Philosophi, *Hieroclis* discipuli, Christum amplexi, Sec. V. Scriptoris *Διαλογος περὶ Ἀθανασίας Ψυχῶν καὶ Ἀναστασεως σωματων* interlocutoribus *Aegypto Alex.*

A

lex.

1119

CODICES

1120

*lex. Axitheo vel Euxitheo Syro, et Theophrasto Athen. unde perfaepe etiam Theophrastus de Immortalitate animarum et Resurrectione corporum inscribitur. Adjacet mihi haec Versio excusa typis Frobenianis 1516. 4. curante Beato Rhenano, qui sibi Roma a Mich. Humelbergio missam praefatur; an vero impressam, an manu scriptam, non dispicias; video*

*enim memorari editionem Venetam a. 1513. procuratam ab Aug. Justiniano nepote Andreoli illius, cui Ambrosius Versionem suam dicarat, atque haec Dicitio ipsi editioni Basl. praefixa est. Repetita Editio Genuae ab J. Ge. Justiniano 1645. 4. item in Bibl. PP. Lugd. T. VIII. p. 650. semper Ambrosii nomine. At quo jure, obferva.*

Codex.

Editio Basl.

Biblioth. PP.

*AEG. Quo tu euxitheae, uel unde? EVX. Ex syria athenas nauigabam o Egipte. sed aduersa temporum ventorum vi acta nauis atque interrupta nauigatio est. Et ecce secus atque institueram adsum tibi. Nilum pro eliso pharumque pro pyreo intuens &c.*

*AEG. Quo tu Euxitheae uel unde? EVX. E Syria Athenas fe-rebar o Aegypte, sed aduersa ui uenti acta nauis, interrupta nauigatio est. Et ecce secus atque institueram adsum tibi. Nilum pro Eleusio, Pbarumque pro Pyreo intuens &c.*

*AEG. Quonam tendis, et unde nobis ades Axithee? AX. A Syria quidem huc aduenio, et ad Athenienses contendebam Aegypte, sed ventus sinister nauim violenter abripuit, atque interruptit nauigationem. Quo fit, ut tibi nunc adsum, Nilum quidem, non autem I-lissum, Pbarum non Piraeum intuens. &c.*

*Versio certe tertia non Ambrosii est, sed Job. Vuolphii adornata ad Codicem graecum Bibliothecae Augustanae, atque una cum eo edita Tiguri 1559. f. Hac porro, utut proba, interpretatione non contentus Casp. Barthius novam condidit, eamque cum textu graeco, doctisque animadversionibus emisit Lipsiae 1655. 4. Typis Job. Baueri, e quo novum Editorem Job. Beyerum effinxisse videtur Jöcherus in Lex. Haec ad Libelli historiam, cui e nostro Co-*

*dice nihil adcrefcit; neque enim mendis caret, nec ad umbilicum perductus est, sed abruptus in iis verbis: Sed sane mirandum si omnia inuaserit — vel ad extremum peccat pro effugiat, ut rite Ambrosius, e gr. à πάντα διαφεύγειν, quod est circa Libelli medium, edit. Barth. p. 41. II. fol. 24. purpura Incipit Epitome Libri VII. In Laetancium Feliciter. Prave Libri; non enim haec Epitome Libri Septimi Diuinarum Institutionum est, sed omnium*

nium *Septem* Librorum hujus Operis, quantum quidem, dum hic Codex exscriberetur, inde in Eru-  
ditorum manibus erat. Norunt hi hodie, priorem *Epitomes* Partem jam *Hieronimi* tempore, qui in *Cat. c. 80. Epitomen* hanc *Librum acephalum* adpellat, latentem sub hujus *Sec.* initium a *Cpb. Matth. Pfaffio* non quidem, ut *Oudino* visum, *Taurinensi* Bibliothecario, sed in *Cod. Taurinensi* Reg. detectam, *Parisiisque* 1712. 8. typis editam fuisse. Itaque in *Cod. nostro* cum *Laëtantii* Edit. *Parif. 1748. T. II. p. 43. 4.* comparato initium est a *C. LVI.* portione illa, quam detexerat *Pfaffius, Capp. LV.* constante, quae divisio serius adrisit, cum Codices antiqui absque divisione decurrant. Orditur ergo *Nofter: Nam si iusticia est veri dei cultus &c.* Textus mendis, quin et spatiosis vacuis ad voces subplendas non caret. *C. 71.* verbis illis: *iustos homines ac dicatos deo — persequetur*, interjicit: *duobus et quadraginta mensibus*; quod nullibi notatum reperio. Ad calcem habetur rubro: *Ego henricus de brugis transcripsi 1451. Ego autem Carolus podocatharus cyprius auscultante Georgio boemio emendaui pro Guarini Veron. exemplari opera superscripta. Censeo pro exemplari idem esse ac ad exemplar*; unde *Guarino* saltem, quod *Laëtantium* adtinet, non optime provisum fuit.

## CCCCLVII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 2126  
XII. Folior. 54. f. min. magnifice perscriptus et coloribus distinctus hoc Rubro gaudet: *Amicii. Manlii. Seuerini. boecii. v. c. et ill. et consul. ordinarii. patricii. Incipit liber quomodo trinitas unus deus ac non tres dii ad quintum. aurelium. memmium. smachum et ill. v. c. et con. ordinarium ac patricium socerum. De sacris christiani hujus Philosophi opusculis non semel quidem utroque hoc Vol. egi, invitatur tamen Exempli hujus aetas et splendor, ut quaedam etiam ex eo delibem. Init Tractatus I. Inuestigatam diutissime questionem in quantum nostrae mentis &c. ut edit. Basil. 1546. p. 957. f. et Lugd. Bat. 1671. p. 269. 8. Si cum hac editione compares, vel in Prooemio hae lectiones non spernendae occurrunt: *stilo cogitata pro excogitata. Spectare sententiam pro sperare. Tractationibus pro tractatibus. Sane tantum a nobis pro sed nunc tantum. Via rationis ascendere pro accedere. Tantum facilius pro tam facilius. Totum Opusculum et Glossas interlineas, et egregia Scholia per margines habet, si primum excipias, quo *Amicius* infeliciter ab Anno ducitur, eo quod optabant parentes annosum fieri. Mirum certe, cum Scholiastes ceterum graecis literis distinctus videatur.**

*Fol. 12.* Alterum Opusculum: *ad iohannem diaconum cardinalem romanæ ecclesie utrum pater et filius et spiritus sanctus de diuinitate*